



A. LAURENTIUS

De vita Hominis.

Hafniæ 1586.













BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS



XXVI.

THESES
DE VITA HOMINIS, DE QVIBVS XX. APRILIS, IN AVDITORIO MAIORE
disputatio habebitur,

Præside

D. ANDREA LAVRENTIO, S. THEOlogiæ in Academia Regia Haf: Professore, Respondente M. ISAACO Gronbeccio Coagio.



HAFNIÆ,
Impreßit Matthias Vinitor, Anno
M. D. LXXXVI.

867

Johannes Andrea R.

Homines nos esse meminer[is]
ea conditione natos vt om[nibus]
fortunæ telis proposita [sint]

Psal. XXXIX.

Notum fac mihi DOMINE finem meum : & mensuram dierum meorum quæ sit ; vt sciam quod esse desinam.

Ecce palmos posuisti dies meos : & tempora mea sicut nihil coram te ; quam nihil nisi vanitas omnis homo securus ? Sela.

Eheu quam sicut vmbra pertransit homo : & quàm vanè soliciti sunt ; colligit & ignorat quis ea sit congregaturus.

I.

Vitæ hominis consideratio, eiusq́; notitia, quantam quidem in hac mentis nostræ caligine assequi possimus, homine inprimis digna est.

II.

Ea enim percepta, & in nostri cognitionem, & Dei Opt: Max: potentiæ, iustitiæ, Sapientiæ & bonitatis admirationem, adducimur.

III.

Quare propositum est nobis de vita hominis non renati, & renati pauca quædam ad placidam & amicam ζήτησιν, eruendæ atq́; confirmandæ veritatis ergò, in medium afferre: quod hac vita, & ratione, Deo iuuante, à nobis fiet.

IV.

1. Vocabuli aliquot significationes recensebimus.
2. De vita animali.
3. De Spirituali.
4. De erroribus cum vera sententia pugnantibus dicemus.

V.

Quod Hebræis Chaia, Græcis ζωὴ à feruendo, & βίος à vi nascendi & crescendi (vt quidam voluêre) id latinis est vita: Cuius vocabuli vsus in scriptura varius est.

VI.

. Enim spacium illud temporis, quo vita cuiusq́; clauditur, & terminatur, significat: Psal: 63. Benedicam Dominum in vi-

ta mea. 2. *Vitæ auctorem & conseruatorem*: Deut. 30. 3. *Felicem in rebus gerendis successum* : Psal. 30. vita in fauore eius; 4. *Vitæ institutum*. Sap. 5. Stulti vitam eius æstimauimus furorem. 6. *Felicissimum illum statum, in quo cum Christo in omnem æternitatem beati erimus.*

VII.

Has & plures, quæ occurrent in lectione Scripturæ, vocis notiones obseruasse vtile fuerit: ne homonymia falsi, in interpretando à scopo aberremus.

VIII.

Porro vitam hominis esse duplicem (quamuis & plures eius diuisiones afferri possent: nos vero hac διχοτομίᾳ vtemur.) Animalem nempe & Spiritualem, scripturæ vsu, & testimonijs mox constabit. Ac de priore primùm, cuius hæc sit qualiscunq; descriptio.

IX.

Animalis vita est Animæ vis, qua calore atq; Spiritu in corde natis, & corpus animatur, sentit, ac mouetur, & homo intelligentia & voluntate res terrenas, mundanas, & caducas vtcunq; intelligit, eligit, & expetit: de cœlestibus verò, & ad animæ salutem pertinentibus, minimè solicitus.

X.

Huius descriptionis analysni instituemus, vt res, quæ hîc breui orationis ambitu compræhensæ sunt, euolutæ, & quasi sub aspectum positæ, melius intelligi queant. Sunt autem membra eius sex præcipua.

XI.

Eorum 1. Est definiti epitheton, quo Paulus 1. Cor: 2. vtitur:

vtitur: Iudas vero in sua Epistola definit eum animalem, qui spiritum Dei non habet: ac dicitur animalis homo, qui naturali luce præditus, nihil nisi carnale cogitet, sentiat, & expectet.

XII.

2. *Est de vitæ proxima, causa, nempe anima ipsa: illa enim corpus animat: Atq; ideo hæ voces anima & vita interdum permutantur in scriptura, Iob* 10. *Psal.* 73. *Mat.* 5. *Luc.* 12.

XIII.

Aliâs Deus est vitæ ἀιτία κυριοτάτη. *Est enim Deus viuens* 1. *Thimot.* 5. *Solus est Iehoua, Exod.* 15. *Solus est, qui viuificat Spiritum hominis: & solus est Pater animorum Heb.* 12.

XIIII.

3. *Est de fonte vitæ corde nimirum ipso, quod principium vitæ omnibus partibus corporis impertit: quemadmodum Philosophus ille scriptum reliquit. Ac ideo vocatur primum viuens.*

XV.

4. *Est de* κινητικοῖς & ἐνεργιτικοῖς *actionum partium corporis instrumentis: quæ sunt calor & Spiritus in corde nati. Illud enim impertit quoq;* θερμασίαν βιωτικὴν πᾶσι καὶ πνεῦμα *quemad: idem Philosophus docet.*

XVI.

De arterijs vero & venis, quæ sunt receptacula caloris & vehicula Spiritus ac Sanguinis: deq; admiranda ipsarum Sympathia, & mutuis, in accipiendis & reddendis spiritibus & Sanguine, officijs, Medicorum Scholis, ne alienos fines inuasisse videamur, disputandum relinquimus.

XVII.

5. *Est de signis huius vitæ, quæ sunt sensus, & motus: sine*

quibus homo, sicuti nec cætera animantia, potest viuere.

XVIII.

Quæ hactenus diximus brutis cum hominibus communia sunt, ac pertinent ad eam animæ facultatem, in qua respirationis & totius animalis motus vis posita est.

XIX.

Habet enim homo similitudinem aliquam cum alijs creaturis omnibus: vt ESSE cum non viuentibus: VIVERE cum arboribus: SENTIRE cum animalibus: INTELLIGERE cum angelis.

XX.

Quæ vero iam sequuntur alterum vitæ animalis gradum constituunt, qui in vi intelligentiæ & voluntatis positus est, ac hominem à brutis, quamuis alij quidem magni nominis viri aliter existiment, discernit.

XXI.

Homo enim dicitur & est animal λογικὸν, h. e, mentis & sermonis particeps: cum reliqua sint ἄλογα, mentis & sermonis expertia: Iob. 35. Qui docet nos præ iumentis terræ, & præ volatili cœli sapientes efficit.

XXII.

6. Est de obiectis mentis, & voluntatis hominis non renati: quæ sunt res terrenæ, mundanæ & caducæ.

XXIII.

Hæc non intelligenda sunt de rebus, vt sunt à Deo creatæ: nec de ipsarum ordine, qui est virtutum Dei speculum limpidissimum, Rom. 1. Heb. 12: Sed de ἀταξία, quæ aliunde accesserit.

Porro

XXIIII.

Porrò Dei Spiritu destitutus homo, nunquam de rebus cœlestibus, & vita æterna rectè, vt par esset, cogitat: sed de præsente tantum, brutorum propemodum instar, solicitus & anxius est. 2. Pet. 2.

XXV.

Vera causa, quamobrem veram earum cognitionem assequi nequeat, sine verbo Dei & Spiritus S. operatione, est labes hæreditaria, & natiua in nobis, quæ vocatur ἁμαρτωλὸς ἁμαρτία: *quâ præcipuæ vires, vt sunt facultates* γνωστικαὶ & ὀρεκτικαὶ, *miserè sunt deprauatæ.*

XXVI.

Id ita esse: verißima Scripturæ axiomata conuincunt: cuiusmodi, ex multis, sunt hæc pauca: Caro & Sanguis, Mat. 15. animalis homo 1. Cor. 2. Idem Apostolus Eph. 4. menti, quam vocant ἡγεμονικὸν *vanitatem: cogitationi excæcationem: & cordi obdurationem tribuit.*

XXVII.

Quæ quidem actionum principia cùm ita miserè sunt deprauata: non possunt non actiones ipsæ à norma voluntatis Dei, nobis in lege patefacta, deuiare, atq; deflectere.

XXVIII.

Inde fit, vt Ethnicorum, quantumuis nostro iudicio præstantium, nullæ sint virtutes veræ: sed earum εἴδωλα *quædam & simulacra. Quicquid enim ex fide non est peccatum est.*

XXIX.

Ceterùm quòd quidam eorum, alijs fuerunt moderatiores,

honestio-

honeſtiores, & probiores: vt Socrates, Ariſtides, Cato: id quoq; Spiritui Dei acceptum ferendum eſt.

XXX.

Is enim quibuſdam ſuis donis, vt conſeruaretur communis hominum ſocietas, & effrenis turpiter viuendi licentia reprimeretur, eos inſtruxit. Iacob. cap. 1. Omne donum bonum à patre luminum eſt.

XXXI.

Ex quibus hæc duo ſequuntur: 1. Quicquid veræ lucis in homine etiam non renato, reliquum eſt: id eſſe Diuinæ lucis radium quendam. 2. Ethnicorum ſcripta non eſſe aſpernanda: quemad: multi malè iudicant: ſed magni æſtimanda.

XXXII.

Idq; duabus potiſsimum de cauſis, quarum altera eſt γνῶσις, ſiue liberalis doctrina, & pulcherrimarum rerum cognitio, quarum præſidijs vita hæc noſtra carere non poteſt. Altera verò eſt pædagogia & aſſuefactio ad honeſtatem in vita & moribus.

XXXIII.

Periodus huius vitæ breuiſsimæ, & calamitoſiſsimæ: de qua Moſes Pſ. 90. Iob. 14. Iac. Gen. 47. monebit nos: vt, poſito animi faſtu, moderatè de nobis ſentientes: cogitemus de horula noſtra illa, qua decedendum erit.

XXXIIII.

Hæc de animali vita, quæ mors verius quam vita nominari poteſt: Eph. 2. dicta ſunt: nunc verò de Spirituali reſtat, vt dicamus, cuius hæc ſit deſcriptio.

XXXV.

Vita Spiritualis eſt noua Creatio, diuinitus facta: qua, remiſsis

mißis peccatis, & nobis in familiam Dei adoptatis, renati indies magis magisq; virtute Christi, carne mortificati, Spiritu viuificamur: donec tandem in vera nostra patria, perfecta imago Dei in nobis restituetur.

XXXVI.

Huius quoq; descriptionis διάρθρωσιν *quandam faciemus: vt res momenti maximi, quippe quæ Euangelij Epitome quædam sunt, hic compræhensæ, propius aspiciantur.*

XXXVII.

1. *Itaq; est definiti epitheton, quod de duobus nos monet: Vnum est, hanc vitam regeneranti gratiæ Dei in solidum deberi: Alterum, homines huius gratiæ Dei participes factos, ductum Spiritus Sancti sequi debere.*

XXXVIII.

2. *Est creationis vox, generis loco posita: qua in re sequimur auctorem Spiritum Sanctum, qui per os Dauidis sic loquitur: Cor mundum crea in me Deus, Psal. 51. Paulus nouam creationem, Galat. 6. vocat.*

XXXIX.

Hoc Dei beneficium vocatur aliâs regeneratio, renascentia, renouatio: 1. Pet. 1. Tit. 3. Iohan. 3: ἀποκύησις vel parturitio. Iaco. 1. Estq; qualitatum non substantiæ renouatio: 1. Sam. 6. mutaberis in alium virum.

XL.

Natura enim hominis non est prorsus destructa peccato: sed ita horribiliter viciata, & è bona mala reddita: vt supersint tanquam ædificij quondam magnificentißimi quædam λείψανα.

XLI.

Noua creatio appellatur, quod illa discrimen faciat inter vitam quam habemus ab ADAMO propagatam: & qua sumus filij Dei. Vocatur etiam gratiæ: quòd gratuito fauore Dei, credentibus conferatur.

XLII.

3. Est peccati remißio, ex qua pendet hæc nostri renouatio. Hic duo nobis quoq; sunt attentè consideranda. 1 Cuiusmodi statu priusquam regeneremur, fuerimus: de quo Eph. 2. Eramus filij iræ. 2. Dei immensam & incompræhensibilem misericordiam esse, qui nobis imputata filij sui iustitia, nos pro iustis habeat.

XLIII.

4. Est de nostri in Dei familiam adoptione: de qua Iohan. cap. 1. Dedit illis hanc dignitatem: vt filij Dei fierent, ijs qui credunt in nomen eius. Rom. 8. Isa. 66. Estq; hæc similitudo à ciuili consuetudine sumta.

XLIIII.

Vt enim is, qui filius non est, ex beneuolentia alterius & amore, adipiscitur filijfamilias ius; ita electi, ex gratuita Dei misericordia & bonitate fiunt filij Dei, per Christum dilecti. qua dignitate nulla maior esse potest. Eph. cap. 1.

XLV.

5. Est de sanctificatione quæ duplex est; vna, quæ reatui opponitur, quaq; Christi sanguine peccatum expiatur: quæ est pars iustificationis nostræ; Altera viciosis qualitatibus opposita, est segregatio filiorum Dei, à profanitate illorum, quos

Deus

Deus pro filijs suis non habet: de qua hîc agitur præcipuè.

XLVI.

Partes sanctificationis, de qua loquimur, duæ sunt, mortificatio nimirum carnis, & viuificatio Spiritus: vtraq; eximium Dei donum, & beneficium.

XLVII.

Illa est depositio veteris hominis, siue innatæ nobis prauitatis: hæc verò est Spiritus, id est, mentis, cordis, & intelligentiæ nostræ renouatio: illa fit energia mortis Christi: hæc verò eiusdem resurrectionis efficacitate.

XLVIII.

Cùm enim mortis Christi participes simus, aboletur peccati vis & naturæ nostræ ingenita prauitas, Rom: 6. Vetus ille noster homo cum eo crucifixus est vt eneruetur corpus peccati.

XLIX.

Renouatio verò nostri fit, cùm resurrectionis eius participes facti, Spiritus Sanctus, discussa è mentibus nostris caligine, quam ex peccato contraximus, accendit in nobis nouam lucem: qua mentes & corda illuminantur, & inflāmantur vera pietate atq; affectibus congruentibus cum lege Dei.

L.

Idem Spiritus Sanctus inspirat etiam voluntati nostræ iustitiam, & sanctimoniam: vt iam cupiamus & persequamur quæ verè bona sunt: Eph. 4. Induendus nouus homo, qui secundum Deum conditus est in iustitia & sanctimonia.

LI.

Hæ nouæ qualitates iustitia & sanctimonia non sunt cau-

ſtræ iuſtificationis: ſed certa indicia & teſtimonia noſtræ cum Deo reconciliationis: Rom: 8. Quotquot Spiritu Dei ducuntur, ij ſunt filij Dei.

LII.

6. Eſt de huius ſanctificationis gradu duplice, quorum vnus eſt incoatæ in hac vita: Alter eſt perficiendæ & numeris ſuis omnibus abſoluendæ in altera vita, quæ eſt vera noſtra patria.

LIII.

Quod autem hæc renouatio noſtri incrementa, quamdiu ſumus in via, quæ ducit nos in alteram vitam, ſumat: probatur multis ſcripturæ teſtimonijs: vt Philip. 3. Ad ea quæ à fronte ſunt contendo ſcopum verſus feror ad palmam ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Iheſu. 1. Iohan: 3. Nondum ſumus id quod erimus. 1. Cor. 13. Ex parte cognoſcimus. Coloſſ. 3. vita noſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.

LIIII.

Cauſſa cur hæc noſtri ſanctificatio ſit tantum incoata in hac vita, eſt peccatum hærens adhuc in natura noſtra: vnde facta eſt illa carnis & Spiritus lucta: de qua Rom. 7. Gal. 5. Caro concupiſcit aduerſus Spiritum & Spiritus aduerſus carnem, exiſtit.

LV.

Inſtrumentum, quo applicatur nobis hoc Dei beneficium eſt fides: qua Chriſto vnimur, eiuſq; bonorum participes reddimur. Act. 15. Fide purificantur corda. Gal. 2. Vitam, quam nunc in carne viuo, viuo per fidem filij Dei.

Hæc

LVI.

Hæc fides creatur in nobis cùm verbum Dei audimus, legimus, meditamur: cum qua auditione, lectione & meditatione, iunctus est Spiritus Sanctus: qui donum illud Dei intus in animis nostris operatur. Rom. 10. Fides ex auditu est.

LVII.

Externæ prædicationi verbi sacramenta adduntur: quibus promissio, quæ per prædicationem nunciatur, obsignatur, atq; beneficia Christi singulis verbi auditoribus applicantur: atq; hic generandæ & augendæ fidei modus ordinarius est.

LVIII.

Fines & effecta sunt motus, sensus, cogitatio, actio, cum lege Dei congruentia. 1. Pet. 1. Sicut is, qui vos vocauit sanctus est, ipsi quoq; sancti in omni conuersatione reddamini.

LIX.

Huius vitæ prorogatio à Deo petenda est, vt ipsius gloriæ præcones simus: Psal. 115. Nos benedicemus Iehouam ex hoc tempore. Et 118. Non moriar; sed viuam & narrabo Domini opera.

LX.

Perfectio autem vitæ spiritualis tum demum erit, cum, virtute Christi à morte excitati, beatæ immortalitatis gloria ornabimur, eritq; Deus omnia in omnibus. 1. Cor. 15.

LXI.

In illa perfecta regeneratione, quam expectamus magno desiderio, petentes quotidie: Adueniat regnum tuum; ita rur-

sus copulabuntur anima & corpus: vt eorum dissolutio nulla vnquàm sit futura.

LXII.

Atq; hæc hactenus de vita duplice, quarum vna est communis omnibus hominibus ab Adamo propagatis, Mat. 5. Altera fidelium & electorum propria, ideoq; vocatur Dei vita Eph. 4. Illa mortalis, incerta, temporaria: hæc immortalis, constans, & æterna: illa indiget pane quotidiano, cui vires alendi nos, dat Spiritus Sanctus, 2. Cor: 6. hæc verò absq; panis adminiculo seruatur. Regnum Dei non est cibus & potus Rom. 14.

LXIII.

Cum vera sententia, de qua iam dictum est, multi & perniciosi errores pugnant, quorum aliquot recensebimus: vt moniti, caueamus, ne implicemur falsæ doctrinæ, de re omnium maxima.

LXIIII.

Primus itaq; est Menandrianorum, qui dicunt Spiritus renouationem esse resurrectionem carnis. 2. Chiliastarum, qui vitam æternam in corporis voluptatibus, mille annis in his terris duraturis, collocant. 3. Libertinorum, qui negant aliam vitam hominibus datam, quàm quæ sit cum bestijs communis. 4. Est eorum, qui opinati sunt, hanc regenerationem, non fieri in Spiritu aut mente hominis: sed in corpore, cuius vires ita redintegrarentur: vt postea multo diutius viuerent, quam fuisse Nicodemi opinionem apparet Ioh. 3.

Hæc

Hæc habuimus quæ proponeremus de significatis & notionibus vocabuli vitæ: de hominis vita duplice: deq; erroribus veræ sententiæ aduersantibus. Deus accendat in mentibus nostris veram lucem, qua & vitæ nostræ breuitatem, eius causas & remedia rectè intelligamus, vt tandem in altera vita, quæ verè vita dicenda est, comperiamur in electorum omnium cœtu.



